



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Concessio Indvlgentiae causa orationis sine intermissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

ifices prædecessores nostros, ac nos, & dictam Sedem sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illas alias in suo robore permãsuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Quoniam autem difficile esset præsentibus ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quę adhiberetur præsentibus, si essent exhibitę uel ostensę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę reuocationis, abolitionis, cessationis, annullationis, inhibitionis præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quinto. Idibus Iunij. Pontificatus nostri, Anno quarto.

M. Datarius.

Cæ. Glotierius.

A. de Alexijs.

CONCESSIO INDVLGENTIAE
causa orationis sine intermissione.

GREGORIVS PAPA XIII.



Niuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benediſtionem. Cum ad diuinam miſericordiam implorandam, calamitatesq; propulſandas præcipuum ſit deuotę ad Deũ orationis remedium, illudque Venerabiles fratres Epifcopi Prouincię Mediolanenſis prouidẽ uſurpare ſoleant, orationem ſine intermiſſione quandoq; indicendo & proponendo. Nos vt fideles ipſi ad orationem huiusmodi colibentius, & frequentius conueniant, quo ex hoc dono cœleſtis

ſtis

stis gratia vberius conspexerint se resectos: precibus quoque dilecti filij nostri Caroli tituli sanctae Praxedis presbyteri Cardinalis Ecclesie Mediolanensis Presulis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus in dicta Prouincia Mediolane. existen. qui orationi sine intermissione iussu Episcopi pro tempore indicende per horę spatium vacauerint, tres annos: qui vero processioni interfuerint initio, vel in fine orationis celebratę huiusmodi in Cathedralibus decem; in alijs vero Ecclesijs quinque annos indulgentię in forma Ecclesie consueta concedimus. Ac vero semel in anno die ab Episcopo prescribendo si sacram etiam Eucharistiam vere pœnitentes, & confessi sumplerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem tenore presentium elargimur. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romę apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris. Die V. Aprilis. M. D. LXXX. Pontificatus Nostri anno octauo. subscripta.

Cęf. Glorierius.

CONCESSIO INDVLTENTIAE
vniuersis fidelibus Prouincię Mediolanen. con-
uenientibus ad orationem quadra-
ginta horarum.

GREGORIUS PAPA XIII.



Niuerfis, & singulis Christi fidelibus Prouincia Mediolanen. presentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Quam vberes ex orationis instituto ad populum Christianum semper prouenerint fructus, animo reuoluentes, ea libenter concedimus quibus fideles ad orationem maximę excitentur. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus in dicta Prouincia Mediolanen. constitutis, qui orationi quadraginta horarum ordinarię vel extraordinarię iussu Episcopi expositę per horę spatium vacauerint, tres annos, qui vero processioni interfuerint initio, vel in fine orationis celebratę huiusmodi, in Cathedralibus decem, in alijs
vero